



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 119. Fœderati Teneramundæ circa Hispaniæ Regis adventum
deliberantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

folum Belgarum causam apud Gubernatricem egit, atque eorundem innocentiam commendavit, sed insuper Romanum Pontificem, cultumque sacrarum imaginum, & Inquisitorum Tyrannidem execratus denique conclusit, obstringi se Religione, quo minus fratribus suis confessionem Augustanam, purumque Dei verbum sectantibus adversaretur: Ceterum Galliarum Rex ad Gubernatricis preces edictum promulgat, ne quis suorum armis tueretur rebellium Belgarum partes: ea propter Philippus plenas gratiarum litteras ad eundem dedit, simulque Sorori suæ scripsit, quod rebus suis Madridi compositis in Belgium profecturus esset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

§. CXIX.

Fœderati Teneramundæ circa Hispaniæ Regis adventum deliberantes.

Turbatis hoc nuntio Fœderatorum animis Princeps Oranius, Ludovicus Nassovius ejus frater, Comites Egmontius, Hochstratanus, Hornanusque Teneramundam quandam inter Antverpiam, & Gandavum urbem venire, ibi quid singuli de adventu Regis accepissent, communicaturi, capturique inde de rei summa consilium, porro

Thuan. & Strad. l. 6.

Oo 3

inter

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

intervaria, quæ in hoc conventu pro impediendo Philippi cum copiis adventu proponebantur, consilia nonnulli censebant, implorandam esse Regis clementiam: alii vero opinabantur, patriam esse relinquendam, ejusque partem Victoribus cedendam, denique alii contendebant, novum in patriam Principem, sub quo tuti viverent, inducendum, hocque postremum consilium fore optimum putabant; cum enim Maximilianus Imperator operam suam obtulisset componendis hisce discordiis, ideo sub obtentu ejus arbitrium deprecandi, clam interim agi posse existimabant, ut in Cæsaris manus hæc demum provinciæ devolvantur, præsertim eo quod exinde non exponerentur contumaciæ probro, cum non abigerent a se Dominum, sed mutarent in alium non extra domum Austriacam quæsitum: insuper id inde commodi secuturum sperabant, ut aut novum Principem sponte accersitum demereantur, aut si forte res successu careat, conatus ipse Cæsarem Belgis devincturus, eorumque patrocinium apud Philippum Regem nunquam ille deserturus sit.

Tandem conclusum, curas eo esse intendendas, ut Cæsar Hispaniæ Regis adventum in Belgium præpediret.

§. CXX,